Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift



singulos eorum. Et repleti sunt omnes spiritu sancto
et ceperunt loqui aliis linguis prout spiritus
sanctus dabat eloqui illis. R. Post passionem
Cum reliquis excepto quod infra hanc ebdomadam
Communiones pro responsoriis non cantantur. .ii.
Erant autem in ierusalem habitantes
iudei viri religiosi ex omni natione
que sub celo est. Facta autem hac voce
convenit multitudo et mente confusa
est quoniam audiebat unusquisque lingua
sua illos loquentes. Stupebant autem
omnes et mirabantur ad invicem dicentes.
Nonne ecce omnes isti qui loquuntur galilei
sunt. Et quomodo nos audivimus unusquisque
linguam nostram in qua nati sumus.
.iii. Parthi et medi et elamite et qui ha
bitant mesopotamiam iudeam et capa
dociam pontum et asiam phrigiam
et pamphiliam egyptum et partes
libie que est circa cyrenen et adve
ne romani iudei et Asci
quoque et proseliti cretes et arabes audi
vimus eos loquentes nostris linguis mag
nalia dei. Stupebant autem omnes et mi
rabantur ad invicem dicentes. Quid nam
vult hoc esse. Alii autem dicebant. Quia
musto pleni sunt isti. Fra. iii. P. i.
Stans autem Petrus cum unde
cim eleuauit vocem suam et locu
tus est eis. Viri iudei et qui habitatis
ierusalem universi hoc vobis notum sit
et auribus percipite verba mea. Non e
nim sicut vos estimatis hi ebrii sunt

cum sit hora diei tercia. Sed hoc est quod
dictum est per prophetam iohel. Et erit in no
uissimis diebus dicit dominus effundam de spi
ritu meo super omnem carnem et pro
phetabunt filii vestri et filie vestre iuve
nes vestri visiones videbunt et seniores
vestri somnia somniabunt. .ii.
Et quidem super servos meos et super ancil
las meas in diebus illis effundam de spiritu
meo et prophetabunt. Et dabo prodigia in
celo sursum et signa in terra deorsum
sanguinem et ignem et vaporem fumi.
Sol convertetur in tenebras et luna
in sanguinem antequam veniat dies domini
magnus et manifestus. Et erit omnis
quicumque invocaverit nomen domini salvus
Viri israhelite audite. iii. Ierit
verba hec Ihesum nazarenum virum
approbatum a deo in vobis virtutibus
et signis et prodigiis que fecit per illum
deus in medio vestri sicut vos scitis hunc
definito consilio et prescientia dei traditum
per manus iniquorum affigentes in
teremistis quem deus suscitavit solutis
doloribus inferni iuxta quod impossibi
le erat teneri illum ab eo. David enim
dicit in eum. Providebam dominum coram
me semper quoniam a dextris meis est ne com
movear. Propter hoc letatum est
cor meum et exultavit lingua mea
insuper et caro mea requiescet in spe
quoniam non derelinques animam meam
in inferno nec dabis sanctum tuum vi